

Universitätsbibliothek Paderborn

Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia

Tribus Tomis comprehensa

Opvscvla Spiritvalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae
Christiana. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De
Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.
Cardinalis, Tom. I

Bona, Giovanni

Parisiis, 1677

§. 1. De generali examine sui ipsius

urn:nbn:de:hbz:466:1-9969

CAPUT V.

MISCELLA DIVERSARUM EXERCITATIONUM.

§. I. *De generali examine sui ipsius.*

TRIPLEX est conscientiae examen. Unum generale, quo unusquisque librat & discutit proprium spiritum, ut perspiciat in quo gradu vitae spiritalis reperiatur, & quomodo proficiat in studio perfectionis. Alterum est examen quotidianum quod ter in die institui debet, mane, meridie, & vespere, noctis ac diei acta ad calculos revocando. Tertium est particulare, quod ad virtutem aliquod extirpandum, vel virtutem acquirendam instituitur. De quotidiano, & particulari dictum est supra, hic de generali agendum est.

i. Ad hoc faciendum recipies te in locum aliquem secretum, & ab omni strepitu expeditum; teque in spiritu prope Crucem collocabis, & in conspectu Christi Crucifixi, à quo lumen, & auxilium petes, quo possis te ipsum dighoscere & comprehendere, & languescentem spiritum renovare. Tum diligenter investigabis, & solerter expendes ea, quæ progressum tuum in studio perfectionis retardant & impediunt, habita ratione triplicis viae, purgativæ, illuminativæ, unitivæ. Firmum deinde propositum excitabis quælibet impedimenta amovendi, defectuum radices extirpandi, & studiosè proficiendi; gratiamque ad id necessariam à Deo humiliter postulabis.

ii. Impedimenta profectus in via purgativa hæc ferè sunt. Non habere zelum majoris puritatis animæ. Parvi facere peccata venialia, nec ea sollicitè cavere & expiare. Nimium sibi fidere, nec præcavere occasiones tentacionis & lapsuum. Studium mortificationis interioris & exterioris negligere. Divinos instinctus, & superiorum admonitiones dissimulare & parvidendere. Libenter se effundere ad res exteriores, liberè sensibus & cogitatio-

C. Bona Opus. Spirit.

G

nibus evagari, ægrè ad cor redire, otium amare aliorum dicta & facta facile capere, jocis delectari, pia colloquia fastidire, solatia avidè quærere in cibo, potu, somno, recreationibus, nūgis, & fabulis; conscientiam cursim & perfunctoriè examinare, absque seria compunctione & proposito melioris vitæ. Confiteri ex arida consuetudine, absque vero doloris sensu, & desiderio emendationis.

III. Profectum in via illuminativa hæc sunt quæ retardant. Non magni æstimare eximiam virtutum perfectionem, nec ad eam aspirare. Non frequentare ferventer internos virtutum actus. Externos item actus sine spiritu exercere, materialiter potius quam formaliter. Exactam votorum, & regularum observantiam non tanti æstimare, uti par est, nec à parvis transgressionibus abstinere. Parum sollicitum esse de puritate intentionis, ejusque continuatione & crebra renovatione. Abjecta officia, & humilia fugere. Ad otiosam vitam aspirare, & labores declinare. Non habere accuratam temporis rationem, & visitationes, atque discursus tædii vitandi causa avidè amplecti. Examen particulare prætermittere, & de virtutis perfectione acquirenda desperare. Non esse ad omnia indifferentem, sed vilioribus speciosiora anteferre.

IV. Obstacula, & signa defectus in via unitiva, hæc esse solent. Circa Missam, & usum sanctissimi Sacramenti tepidum esse. Divina obiter meditari, sine fructu & affectu: & orare vocaliter cursim sine attentione & devotione. Piis colloquiis minime affici, librorumque spiritualium lectionem fastidire. Usum aspirationum, & exercitium divinæ præsentiae omittere. Frigidè, & raro internos actus amoris Dei & proximi elicere. Externos item absque debita intentione, & devotione peragere. Non pure in omnibus Deum quærere, nec conari ei placere propter seipsum. Languere in zelo animarum, & in peculiari devotionis affectu erga Deum, & cœlites. Tepescere, ac fere animum despondere, cum de perfecta

resignatione , & unione cum Deo assequenda tractatur.

v. Hoc examen semel saltem in hebdomada institue , suprascripta puncta attentè percurrendo , & cùm notaveris quid te maximè à perfectione retardet , ad hoc amovendum omnem adhibe diligentiam. Considera tuam naturalem complexionem , educationem , & consuetudinem , atque peccata , in quæ olim sèpius labi consueveras ; ea enim solent sui vestigia usque ad finem vitæ altissimè impressa relinquere , & ad ea radicibus evellenda strenuè laborandum est. Discute totius diei functiones & exercitia , & attende præcipuè quid in singulis intendas , & qualiter singula obeas ab initio diei usque ad finem .

vi. Expende gradus virtutum , & vide ad quem perverheris ; an à contrario vitio studeas te imminorem servares an omnes lapsus circa eam vites : an unquam heroicos ejus actus exercueris. Vide quomodo te habeas erga Deum , ejusque amorem , & cultum erga proximum , & superiores , & erga teipsum , animam scilicet & corpus .

vii. Adverte , & disquire an contentus vivas iuxta tuam vocationem , & libenter servias in statu & officio tuo : quid sentias de instituto : quantum tempus orationi tribuas : an castitatem Angelicam secenteris , & remedia contrariis temptationibus adhibueris : quem fructum ex usu Sacramentorum percipias : an aversionem ab aliquo , vel himiam cum uno habeas familiaritatem. Mox scribe quæ in te emendanda repereris , & Deum ora , ut dignetur tibi ostendere quid à te potissimum velit. Debes autem præcipue illas cogitationes , affectus , verba , colloquia , actiones , & omissiones examinare , quæ vix advertenti naturaliter quodammodo excidunt , quæque se produnt , cum languet spiritus , & natura sibi , ut ita dicam , relicta est , tunc enim propriis motibus ipsa natura agi toler , ex quibus disces qualis sis :